

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0150

0148

0154

0144

0159

0139

0199

0099

0249

0049

0649

139

In vertice autem illius montis inveni domum magnam, vacuum tamen, de quo optime contentus fui, non enim fuissem hospes gratus habitantibus in ea Sarracenis. In hoc monte erexit Salomo duo profana aedificia, scilicet templum idolo Moloch, et domum suis concubinis, ex quibus valde offendit Deum. Ideo mons offensionis dicitur, ut habetur 3. Reg. II.

Porro Moloch idolum crudelissimo cultu colebatur, ideo singulariter Levit. 20. prohibitum strictissime fuit, sacrificare ei. Quo tamen non obstante Salomon, inductus per mulieres, in illo monte templum erexit Moloch, et populum ad ejus cultum induxit, et sacerdotibus idoli stipendia contulit. Tali autem hoc idolum colebatur ritu, ut necarentur infantes. Erat enim Moloch imago hominis magna, de aere fusa, et ab intus cavata per universa membra, stabatque in medio templi supra columnam, extensis manibus et brachiis, quasi desiderans et exspectans munus accipere ad brachia, in modum piae matris, quae extendit brachia ad suscipiendum suum infantem; sic enim erant formata brachia idoli, ut puer (B) in eis accubare posset, tamquam in maternis brachiis. Tempore autem sacrificiorum, quando erat ibi puer immolendus, ponebant sacerdotes ardentis carbones in corpus idoli, ipsumque candens et ignitum faciebant, et puerum innocentem unum et sanum de manibus parentum, qui eum immolandum attulerant, accipiebant, et brachiis idoli imponebant. Et ne parentes et amici circumstantes ex ejulatu pueri nimium turbarentur, astabant sacerdotes, cum sonorosis tympanis, cymbalis et tubis fortiter concrepabant, ne parentes vocem pueri morientis audire possent, et tam diu sic sonabant, quousque puer sic in brachiis idoli adustus exspiraret. Quo sic consumpto sacerdotes, et omnes qui sacrificio aderant, jocundis vultibus parentibus congratulabantur, pro eo, quod digni habiti fuissent habere puerum in consortium deorum assumptum. Ex eo autem die omnes idololatrae totam illam genealogiam tamquam nobilitatam honorabant et credebant, quod omnes amici pueri immolati meliora fata et fortunas essent deinceps habituri. Similis ritus apud gentiles observabatur in sacris Saturni, et forte, quod Graeci Saturnum nominant, hoc Hebraei Moloch vocant. Erat enim statua Saturni aenea, magnitudine mirabili, cujus

Ende

Anfang